

in cruce? Ah si vel canis catulorum suorum
non obliviscitur, quin potius sollicite eos cu-
rat ac fovet, quomodo persuadete mihi po-
tero [quidquid mihi demum evenerit] quod
mei non recorderis, quem creasti, redemisti,
sanctificasti, non ut abjiceres & damnares,
sed ut tuis infinitis divitiis locupletares, ac
eterna tui possessione beatum redderes? &c.

CONSIDERATIO IX.

De Sapientia DEI.

Hanc declarat 1. mundi creatio. 2.
Mundi gubernatio. 3. Humanigen-
neris lapsi reparatio.

P. I. *H*anc declarat mundi creatio. *R*egina
Saba cum vidisset amplitudinem ac
magnificentiam templi Salomonici, domos
& palatia Regia, habitacula servorum, &
ordinis ministrantium, admirata sapientiam
Salomonis in his omnibus inveniendis, dis-
ponendis, ac perficiendis, non habebat ul-
tra spiritum. O si orbem hunc magnum ocul-
lis tuis corporeis indies subjectum, mentis
oculo profundius inspiceres, quantas in eo
divitias sapientiae Divinæ detegeres, quæ in
humam te raperent admirationem! ita ut

ex

exclamare cogereris cum Apostolo : **O alti-**
sudo divisiarum sapientia & scientia Dei! ad
Rom. ii. Non est cur oculos attollas in cæle-
stes orbes & sydera, in eorum magnitudinem,
splendorem, velocitatem, æquales & in-
æquales motus, semper tamen a tot jam sa-
culis constantes & ordinatos, quin unquam
extra orbitam suam deflexerint ; miros eo-
rum inflexus in corpora terrestria, multipli-
ces eorum & admirandos effectus ac virtutes:
vel in sola terra, quam pedibus calcas, quam
multa ac infinita sunt, quæ omnem mentis
nostræ aciem transcendunt, & infinitam in-
tellectui nostro suppedant materiam admi-
randi prodigia sapientiae Divinæ ? Quis enim
appendit fundamenta terræ, quin moles il-
la immensa basin aliam ac fulcrum habeat,
quam aerem, corpus adeo tenue, ut ne la-
pillum quidem minimum ad tempus etiam
brevissimum sustentare valeat ? Quis copio-
sas illas venas aquarum per vias inaccessas,
per medios montes, petrasque durissimas
aperuit, quoniam obstruantur unquam aut ex-
siccantur, tamque stupendo artificio per to-
tum late terrarum orbem ceu arterias in hu-
mano corpore dispergit ? Quis nubes aquis
gravidas, ceu litulas immensas conspergendi

plan-

plantis, ne exarescerent, necessarias, invenit;
 similque ventos, quorum veluti alis per om-
 nem terram circumferrentur? *Quis* in exiguo
 semine proceras arbores cum suis ramis, fo-
 liis ac fructibus, in bulbis quoque ac radici-
 bus præstantissimas herbas, florësque infinitis
 coloribus distinctos, recondidit? *Quis* terræ,
 elemento suapte natura siccо ac frigido, mira-
 bilem illam indidit fœcunditatem, ut mes-
 sem quot annis redderet, & hominibus &
 volucribus cœli, ac bestiis terræ nutriendis,
 sufficientissimam, imo cuiuslibet gustui ac
 sepori accommodatissimam, cum tamen illa
 saporem non habeat, nisi crudum admodum
 ac insipidum? Nonne tu infinita sapientia,
Moderatrix omnium operum Dei? Tu hæc
 & innumera, quæ in natura latent, arcana in-
 venisti, quin indigeris unquam aut magi-
 stro, qui te instrueret? *Quis* enim adjuvit
 spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus
 fuit, & ostendit illi? Isa. 40. aut arte, cui
 studieres; aut tempore, quo de rebus tantis
 deliberares; aut instrumentis, quibus mensu-
 ram justam, singulisque proportionatam
 investigares; aut experientia, cuius bene-
 ficio rerum naturas ex effectibus conjiceres
 ac comprobares. Tu omnium possibilium

indolem, vires, virtutem, temperiem, potentias in temetipsa conspicis; media quoque, quibus juventur, & adjumenta ac proprietates, quibus indigent ad fines a te intentos. Tuptarium symmetriam, qualitatum Sym-
pathiam, humorum aut concordiam, aut contrarietatem, rerum omnium, ordinem, mensuram, proportionem, dignoscis, ut nihil te lateat, sed quidquid in iis cognoscibile, oculis ac luci tuae Divinæ velut pleno in me-
ridie patescat. O quantam mihi erubescendi materialm præbes Deus meus! dum per-
pendo, quo se extendat infinita capacitas in-
tellectus tui, quam angustis contra limitibas
circumscribatur omnis humana sapientia, ne
unius quidem animalculi, aut alterius cuius-
dam rei partem minimam comprehendens.
Ratiocinamur, disputamus, differimus, sed
veluti cæci de coloribus; putantes nos ali-
quid scire, & re ipsa ignorantes, quæ lo-
quimur, ipsisque oculis nostris conspicimus:
cumque tam curta sit supellex intel-
lectus nostri, ut vix ultra corticem & ex-
temam rerum faciem prospiciat, & infini-
ties plura ignoremus, quam agnoscamus;
nihilominus miseri sapere nobis videmur.
Feramque sapientiae ac scientiae avide ve-

namar. O quam merito objici nobis potest, illud Jobi 15. *Quid te elevat cor tuum & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?* Ah discam tandem non plus sapere, quam oportet saperè, sed sapere ad sobrietatem. ad Rom. 12.

P.2. *Mundi gubernatio.* Si tanta Deus sapientia condidit omnia, quæ in mundo sunt, etiam minima quæque, vix sensu aliquo humano perceptibilia; putasne minori sapientia eadem gubernabit? Nonne ideo condidit universa, ut ad certos fines a se intentos singula perduceret? Qui fieri ergo posset? ut postquam tanta prudentia, omnia & singula disposuit ac formavit, opus jam a se perfectum negligeret, ejusque curam deinceps deponet? Nonne confusio plusquam Babylonica timenda esset, si opus tam vastum, tamque varium, hominum libidini, aut casui ac fortunæ relinqueretur? Nequaquam ergo regitus humana prudentia mundus, nec casu ac fortuito, quæ geruntur in mundo, eveniunt, sed suprema illa sapientia, velut ex alta specula semper prospectans, considerat singula, ordinat universa. Et certe si solam etiam rationem naturalem consulere voluerimus, vel ex eo liquido appetet, Divinam sapientiam

tiam ad clavum semper sedere , totumque
mundum , ejusque cursum moderari ; quod
ne unius quidem domus minus regni prospe-
ritas consistere diu possit , nisi prudenti judi-
cio ejusdam rectoris , aut patris familias gu-
bernetur . An navis unquam feliciter in por-
tum inventa , nec in scyllas sutesque abrepta
fuit , quæ destituta gubernatore , ventorum ,
fluctuumque arbitrio permissa fuit ? Quod-
nam prælium prospere successit , si dux nul-
lus exercitui præfuerit , cuius prudentia ac
vigilantia dirigeretur ? At nonne certa expe-
riencia didicimus , quod post tot sæculorum
decursius , non minus accurate volvantur
cali , noctes ac dies perseverent , annique va-
riæ tempestates eodem sibi succedant ordi-
ne , quo a primo momento , cum a Deo con-
dita sunt ? An id fieri potuisse sine rectore
Deo , sine ejusdem rati , ac ordinatione ,
sine dispositione ac directione plusquam hu-
manæ , adeoque Divinæ sapientiæ ? An mi-
nus liberali manu , nunc annis singulis sub-
venit necessitatibus omnium creaturarum ,
quam subvenit ab initio , suppeditans omnia ,
quæ ad victum , vestitum , commoditatem
&c. illis & utilia , & necessaria sunt ? Ut satis
agnoscas providam Dei sapientiam omnibus

& singulis constanter invigilare, totamque
hanc cœli terraque machinam sua quasi ma-
nu versare, rerumque omnium evenientias non
minus ab ea pendere in sui gubernatione,
quam dependeant ab omnipotentiâ in sui
creatione ac conservatione. Ne interim af-
fucti cursui siderum, ac tot sæculorum con-
stanti experientia indueti, forte nobis per sua-
deremus, hæc stabilitate a Deo ita fixa esse;
ut non sit, cur Divina sapientia illis in mo-
menta singula intendat, rerumque ordinem
ac eventus moderetur; Deus hunc ordinem
non semel turbare voluit, jam ad Josue vo-
cem solis rotas sistendo; alias ad Eliæ preces
triennio integro cœlum claudendo. interdum
elementis (ut igni in fornace Babylonica)
viam suam ac vires naturales adimendo; ut
vel inde disceremus, rerum causas & ef-
fectus sola dirigi sapientia & consilio altissi-
mi. Quod si nunc Divinæ sapientiæ consilio
nutoque, vel inanima regantur, minusne
attendet homini, quem ceteris creaturis ve-
lut dominum præposuit; & ut ait Psaltes,
constituit super opera manuum suarum; ma-
xime cum ad finem nobilissimum eum de-
stinarit; quem sine speciali suo adjutorio ac
directione consequi nunquam poterit? Num

vel in mentem cuiquam venire posset, quod eum solum sibi, suæque infirmitati relicturus sit, quam ducem habeat, quem sequatur; pastorem, cuius vocem audiat; parentem, qui curam ejus suscipiat; consiliarium, quem in necessitatibus consulat; monitorem, cuius internis instinctibus regatur ac instruantur? Nonne ex opposito Deus ipse dolens, Num. 13. queritur, quod noluerimus sequi se, non audierimus vocem suam. *Vocavi et rennisti.* Prov. 1. despixerimus omne consilium ejus. ibid. Nonne diserte testatur? Numquid obliuisci potest mulier infantem suam, ut misereatur filio uteris sui? Et si illa obliteratur, ego tamen non obliuiscar eni. Ecce in manibus meis descripsi te. Is. 49. Verum equidem, quod te Deus reliquerit in manu consilii tui; sed an ita, ut nullam tui rationem habeat; tuis rebus non consulat; ad ea quæ agis, aut aliunde tibi obveniunt, non attendat? Ah tantum abest, ut tuis curam unquam deposuerit, ut etiam, si vellet, non possit. An non enim in ipso vivimus, movemur, & sumus? Nonne ipse operatur omnia in omnibus. 1. ad Cor. 12. Ut proin influxu continuo ejus uti potentiae, ita sapientiae indigetas, nec pedem aut digitum absque ejus auxi-

auxilio , scitu & consensu movete possis. O sapientissime Deus ! quam felix forem , si tuo arbitrio ac regimini , tuæ infinitæ sapientiæ , quæ falli non potest , me totum permitterem , humiliterque subjicerem. Nonne cum Regio Propheta plenus gaudio , dicere possem Dominus regit me , & nihil mihi deerit ? Ps. 22. Quid enim deesse posset ad felicitatem meam , si sub alis infinitæ protectionis ac sapientiæ tuæ delitescerem ? Nihil certe corpori ; cum vel per corvos pascas servos tuos. 3. Reg. 17. Nihil animæ ; cuius tibi cura præ omnibus , quamque in manibus tuis descripsisti. Sed eheu ! rebellis voluntas mea tuæ semper resistit sapientissimæ dispositioni : regi ipsa non vult , sed regere ; subesse non vult , sed dominari. &c.

P. 3. *Humani generis lapsi reparatio.* Quod si in iis , quæ tantum sunt ordinis naturalis , nec ad finem ultimum hominis magnopere conferunt , modo tam admirabili Divina eluet sapientia , quanta ea censi debet in iis , quæ spectant æternam hominis salutem , quam Divina sapientia velut primarium , & tantum non unicum scopum sibi constituit omnium eorum , quæ aspectabilis hic mundus continet ? quidquid enim cæli

terræque ambitus complectitur, utcunque
 vastum, pretiosum, delectabile, quo re-
 cedet tandem? Nonne in fine sæculorum om-
 nia illa abominatio erunt desolationis, nul-
 lum fere præter cineres sui reliictura vesti-
 gium? Solus ergo homo est, post mundi
 funera superstes, in quem spectarunt sem-
 per oculi Divini, quemque sua decoratum
 imagine, ad sui visionem ac fruitionem in
 hujus mundi creatione, Divina sapientia de-
 signatar. Sed eheu! quantum consilia Di-
 vina præventit hominis malitia: dum præ-
 rogativis naturæ & gratiæ, naturali quo-
 que quam a Deo acceperat, libertate ab-
 usus est in injuriam sui benefactoris? Ce-
 cedit, cecidit, uti Lucifer e cælo, ita ipse e
 paradiso, privatusque justitia originali, to-
 tam secum posteritatem in exitium pertra-
 xit. Actum nunc erat de salute hominis:
 nullum succurrendi remedium suppeditare
 poterat natura; qui enim ab ea Deo offen-
 so condigne satisfieri potuisset? Ultra hu-
 manam profecto satisfactionem, offertre
 homo non poterat, cum ipse esset Deus;
 nec ultra finitam, cum ipse esset infinitus.
 Obsequia ejus quæcunque absorbebat in-
 finita obligatio debita creatori, omnem-

que

meres, quam multitudinem beneficiorum, quibus Deus nos cumulat. Sunt illa sine numero, et si pleraque nos latuant; & in uno saepe beneficio centena continentur, quorum vix centesimum agnoscimus. Quod spiramus, quod videmus, gustamus, tangimus, quidquid interno, vel externo sensu percipimus, id omne Dei beneficium est. Ut Dei immensitas, sic undique ejus liberalitas ac beneficia nos obvallant ac circumdant; ut in illis quasi moveamur, & simus. Nos ipsi, tota anima, totaque corporis nostri machina quid nisi beneficium Dei est, aut potius multiplicium beneficiorum congeries: cum nec officulum nec organum, nec venula, nec musculus in nobis sit, quin a Deo provide ordinata sint in commodum & utilitatem nostram, nobisque ita deserviant; ut non modo tota partim harmonia ac symmetria vel uno deficiente turbetur, ac deficiat; sed & gravissima inde incommoda ac damna in nos deriventur? Obstruatur vel solum in aure tympanum, humor aliquis noxius in oculos defluens, pupillam obsideat; in quantam miseriam prolabitur homo, momento surdus aut cæcus? Osi in tenuissimis illis, quæ oculos, mentemque nostram penè effugiunt, quorumque in corpore

pore humano infinitus est numerus, tanta ab-
scondita est beneficiorum Divinorum multi-
tudo, soli cognita infinita Dei sapientia;
quantus thesaurus Divinis liberalitatis in crea-
turis omnibus, animatis & inanimatis, cælo,
terra, elementis, sole, stellis, herbis, fructi-
bus &c. reconditus erit? Cum omnia ista tot
inter creaturas dispersa beneficia, in tuam uti-
litatem redundant, tuique solius bono a Deo
intenta & creata sint; ut magis beneficia tibi
collata censerit debeat, quam iis ipsis creatu-
ris, quibus immediate a benefica Dei manu
obvenere. Quidquid proinde pulchrum in
floribus, dulce & sapidum in fructibus, lu-
cidum in sole & stellis, ceterisque in creaturis
utile, honestum, delectabile invenis, id to-
cum Dei munere ac liberalitate tuum est; tu
vitæ sustentandæ, tuis commoditatibus, tu
recreationi deserviens; ut Dei beneficio do-
minus quidam sis universæ terræ; juxta illud
Regi variis. Constituisti eum super opera mar-
num tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus:
volneres cali & pisces waris. Ec. Ps. 8. Quod-
que amplius est, ipsa quodammodo Dei om-
nipotentia tua est, ut potet tui amore illa creans
ac conservans; ipsa Dei pulchritudo, omnem
illis decorem ac splendorem conferens; ipsa
Dei

que satisfactionem Dei maiestas, infinite excedens omnia creata. In tanta nihilominus rerum omnium desperatione, non defuit sapientiae Divinæ consilium, (*non enim est investigatio sapientia ejus. Isa 40.*) quo & humanae succurreret necessitati, ac impotentiæ, & simul Divinæ consuleret Majeſtati: cum enim nec purus Deus Deo, nec purus homo Deo satisfacere posset; ejusdem sapientiae admirabili invento, humana se carne vestiit Deus, ut homo Deus in carne morti & cruciatibus obnoxia, Deo satisfaceret; sicque quod humanae deesset infirmitati, suppleret Divinitas: & quod soli Divinæ deesset potentia, perficeret humanitas. O quale consilium Divinæ sapientiae! Ut Dominus pro servo, justus pro injusto, immortalis pro mortali, creator pro creatura, Deus pro homine satisfaceret, penasque justitiae debitas exsolveret; sicque misericordia & justitia obviarent sibi, & utrique Divinæ perfectioni ex æquo satisficeret! Fateor mi Deus! non nisi infinitæ Sapientiae opus esse inventare mediatorem, qui & natura humana mihi similis esset, & Divina tibi æqualis: qui pondus ferret infirmitatis meæ, & excellentiam sustineret tuæ dignitatis: mea.

cooperatus iniuitate , quin vel minimum da-
cederet aut tuæ , aut ipsius sanctitati . Sed nonne
redemptio & salvatio mea , ut opus est tuæ
sapientiæ , ita pariter tuæ Divinæ misericor-
diæ : ut ubi superabundavit delictum , ibi su-
perabundaret & gratia ? An plus debeo sa-
pientiæ ; quæ remedium invenit ; quam mi-
sericordiæ , quæ illud applicavit ? Ah laudo
& æternum laudabo & sapientiam , & mi-
sericordiam tuam , omne meritum meum in-
finite transcendentem . Cecideram ego , tu
crexisti me ; perieram ego , tu salvasti me ; mor-
tuus eram , & ad vitam revocasti me ; ad
infima quæque abjecisti te , ut me extolleret ;
bonis tuis te spoliasti , ut me ditares . Vere
cogitasti super me cogitationes pacis , & non
afflictionis . Jerem . 29 . Nec secundum pec-
cata mea fecisti mihi , neque secundum ini-
quitates meas retribuisti mihi . Ps . 102 .

CONSIDERATIO X.

De liberalitate DEI.

Hæc elucet . 1. ex Divinorum beneficio-
rum multitudine . 2. magnitudine .
3. gratuita collatione .

P. 1. *E*lucet ex Divinorum beneficiorum mul-
titudine . Facilius guttas maris dinu-
meres .